



IO: BAPTISTAE
LAVRI PERVSINI
CLERICI SEMINARII

De Vita

D. MARIAE AEGYPTIACA
LIBRI TRES

AD REVERENDISS. D.
NEAPOLIONEM COMITOLVM
EPISCOPVM PERVSINVM.



PERVSIAE,

Ex Typographia Vincentij Columbarij. M. D. C. III.
SUPERIORVM PERMISSV.



REVERENDISS. DOMINO
N E A P O L I O N
COMITOLO EPISCOPO
P E R V S I N O .

IO: BAPTISTA LAVRVS PERVSINVS
SEMINARII CLERICVS.



XIT in lucem, Pastor Am-
plissime, primus hic vigilia-
rum mearum fructus: te qui-
dem non abnuente, me vere
etiam exoptante: quidni enim
ego me prodam? tametsi longe diuerso con-
silio, ac pleriq; opinor, interpretaturi sunt
temere, ambitioseq; a me videlicet factum,
qui, nondum extra iuuentutis metas consti-
tutus, qua ætate compluribus in eo scribenda
di genere pedem vix dum promouisse videri
possum, de edendo cogitauerim. Par-
cant, obsecro, homines isti censuræ, nec
me ante culpent, quam consilij mei ratio

4
nem inspexerint. Equidem dictū illud Sen
ecæ Agricola penitus deperdere, si quod
semen inseuerit, minus excolat, ita olim reli
gioso sum complexus, vt siquid in me bo
næ frugis Poëtarum lectione erat inspersum,
emori minime paterer; quin potius enixe
operam darem, quantum a grauioribus stu
dijs vacare liceret, vt solerti subactione paul
latim succresceret, meq; in spem messis vbe
rioris, si qua vnquam, erigeret. Ea pros
pter ex Alexādrini Clementis cōsilio (quod
institutæ vitæ rationem decet) Heliconem,
& Cithæronem deserens, Syonem inhabi
tans, Musas ipsas abire iubens, ac cælestes
Mentes meorum laborum auspices inuo
cans, de DIVA MARIA ÆGYPTIACA, in
quam peculiari affectu inde a pueritia exars
si, hanc opellam meditatus sum; quæ quam
quam domi contineri poterat, ex vmbra
lis tamen in Solem eo potissimum nomine
emittitur, vt alieni iudicij exploratrix, atq;
internūtia, quid mihi ex huius generis scrip
tis

tis posthac sperandum sit, fideliter, libere
aperte indicet: nam nec ego Suffenus, nec
Simia, qui mihi met placeam: iudicium er-
go, non plausum, licet expectare & hunc ab
hominibus liceat, cum (quod aiebat Stra-
tonicus) nullo constet impendio. Quod
superest, foetum hunc, quem obseruantia
meæ apud te, Patrone Magne, obsidem ef-
se volo, fronte, qua res tuas consuisti, acci-
pe: tuus enim profecto est, si vel te spectem
quo Poëseos in stadio, tanquam Acclama-
tore, bono meo fato, sum hæctenus usus
atq; adeo (ni obstet reuerentia) Præceptor-
re: vel me, qui, cum ex tuo sim grege, tibi
qui es Pastor, in primis deberi existimo
quidquid vnquam a tenuitate nostra pro-
ficiscetur. Vale ex Seminario tuo. Cal-
Quinct. ClD, ID, C, IIII.

AD DIVAM MARIAM
ÆGYPTIACAM.

Jacobus Viuolus Seminarij Clericus.



AT populis nota es, dum Cypridis
igne calescis,
Dum deserta colis, Fama sepulta
tua est:

At nunc, quæ Fama perierunt tem-
pora, LAVRVS

Reddit, & aternam donat habere diem.

AD IO: BAPTISTAM LAVRVM
SEMINARII CLERICVM.

Io: Nicolaus Leontius eiusdem Sem. Cler.

NON prius aquoribus committit Nautica Cymbam,
Quam MARIS edoceat flâmea STELLA viam.
Duc modo, LAVRE, tuam spatiosa per aquora Puppim,
Qua MARIS in portum STELLA recludit iter.
modo, nec timeas, tumeant licet aquora ventis;
Non valet aduersus vis inimica Polum.

AD

7
A D E V N D E M.

Benedictus Monaldus Sem. Cler.

LAVRVS perpetuo resplendet honore comarum;
Nec vitio atatis carpitur, aut carie:
Et tua perpetuum viuent mansura per auum,
Qua canis heroo carmina, *LAVRE*, sono.

A D E V N D E M.

Timotheus de Timotheis Sem. Cler.

NATVRAE vigili dum mente arcana penetras,
Teq; suis ditat docta Minerua bonis;
Mirum, laurigero quod plenus Apolline; scribas,
Qua Genio haud dubitem viuere posse suo.
Nec tamen hoc mirum, cum te vna Pallas, apollo
Ingenij mira dexteritate beent.

A D E V N D E M.

Virginus Castaldus Sem. Cler.

NON miror, iuuenes quod vix dum euectus ad an-
Qua canos sapiant, talia; *LAVRE*, feras. (nos,
Sic Phæbi Arbos, postquam exit tellure, virescit,
Nunquam casuras induiturq; comas.

A R G V M E N T A
S I N G V L O R V M
L I B R O R V M .

Primi Libri.

E Solymæ deserta petat, MARIAMQ; tenebris

Eximat, insidijs Erebi Dux Zosimon vrget;
Nequicquam: festinanti Senior pede Diuam
Consequitur, varijsq; beat sermonibus aures,
Dum, Mundi qui fræna regant, caussasq; vi-
arum

Expedit, & vitæ fuerit quæ summa, requirit.

Secundi Libri.

Florentes æui cursus, crimensq; peracti
Temporis, accessum sacram Salomonis in Urbem,
Inuentæ celebrata Crucis mysteria, & almæ
Præsidium Dominæ, transmissaq; littora sancti
Iordanis, tacitis & quidquid contigit annis,
Carminè perpetuo Nilo generata recenset.

Tertij Libri.

Zosimon inuadit Febris, qua liber, ad vndas
Procedit, vitreo defert sub carcere Christum,
Cuius vbi MARIÆ similagine pasta, quieto
Immoritur letho, Cæli supera ardua scandens.
Arua Senex relegit, fufum tellure cadauer
Componit tumulo, nomenq; euulgat in Orbem.

IO: BAPTISTAE
LAVRI PERVSINI
CLERICI SEMINARII

De Vita

D. MARIAE AEGYPTIACÆ.
LIBER PRIMVS.



ILIACVM Germen, Caliq; adscripta
maniplis
Femina, Iudei non ultima gloria
Regni,
Prima viam nostris ostendat in Astra
Camenis.

Aspirent Superi, quorum sub iure frequentes
Abramidum tractus, Aegyptiaq; arua tenentur.
Non ego, felici labentem flumine Nilum,
Imbre sub aestiuo, clarum non Memnona plectris,
Sole recens orto, cinctum non cornibus Apin,
Aut Sistris refero ambitam resonantibus Isin:
Plurima quæ prisci celebrant mendacia vates.
Sed quam Calicola, egressam regione Canopi,
Puppe peregrinas nantem videre per undas

10 De Vita D. Mariae Aegypt.

In fines, Galilea, tuos, Jordanis ut vdas
Tranarit digressa vias, seseq; recessu
Sedis inaccessa, nudoq; sub aetheris Axe,
Abdiderit, sceleri ereptos ubi duceret annos.

Tuq; adeo, qua sola hominem nigrantibus antris
Eripis, aeterno secundans secula partu,
VIRGO, faue caeptis: tua laus, te supplice vultu,
Te prece votiua exorat, tibi prima sacratur
Linea, postrema tibi clauditur orbita vita:
Tantus amor, superis animans redimere coronis.

ORBE sub Eoo, Solymæa in mœnia vergens,
Silua frequens, sancta coniuncta crepidine ripa,
Vicino alluitur Fluuio, qui Monte receptus,
Transmissus per operta soli, radicibus imis
Excipitur Libani, geminosq; abscissus in amnes,
Vsq; fluit, donec, riuus coeuntibus, vno
Arctatur gremio, dupliciq; e nomine nomen
Iordanem recipit currentibus aureus undis.
Intus odoratos educit in aëra conos
Pinus amica fretis, frondet procera Cupressus
Aemula Pyramidum, belli domitura furores
Fraxinus, apta oneri Palma, intactumq; veterno
Robur, & aquoreas Abies visura procellas.
Nec vero Nemus in longum protenditur: ingens
Planicies post terga iacet, vix illa minutos
Emicat in fœtus, teneras vix educat herbas.

Solis

Solis ab adspectu feruens, eademq; calentes
Imbribus vda sinus: non illic vomere Bruma;
Autumnus pomis, violis Ver, frugibus Aestas
Noscitur: hinc regio mutis animantibus orba;
Squallet, & humanas excludit inhospita plantas.

Hasne olim quemquam vestigia ferre per oras
Egit amor? Pharias inter celeberrima Nymphas,
Claruit ut fædis quondam Cythereidos armis
Effuso teneras populata Cupidine venas:
Nunc, longe castis aterni Pneumatis armis
Excita, caelesti mentem radiata sereno,
Illustrat Solymas æui matura latebras.

Huius ut egregie fluerent in secula laudes;
Et totum caneret vox indefessa per Orbem:
Deterfas animæ labe, quas cætibus olim
In medijs illex, atq; inconsulta Libido
Intulit, unde frequens posthac exempla capeffens
Posteritas, Ditis victus eludat hiantes.
Illustrem senio quendam, canisq; verendum,
Nec per inaccessas metuentem vadere silvas,
Rex Cali excierat. Mens huic insederat, omnes
Scrutari saltus, nemorumq; errare per umbras;
Si qua latebrosæ caelestia pignora valles
Occulerent. Iamq; euectus Iordanis ab unda
ZOSIMVS (hoc illi nomen) confinia Silue
Legerat apposita: Cum formidabilis Orci

Arbiter

12 De Vita D. Mariae Aegypt.

Arbiter obliquans oculos, qua praepecte gressu
Carpit iter, trepidas Erebi suspirat ad Arces,

Atq; ita. Me ferus iste, meosq; evertere honores
Apparat, & Fidei instimulat Furor: hoc mihi bellum
Ira ciet Superum, usq; adeo immortalibus actus
Saeuae Parens, odys in me, gemitumq; meorum,
Armabis, nostri longum quae iura senatus
Seruarunt, aditusq; in Tartaron angustarunt;
Ingenti semet scelerum dum fasce fatigant,
Et contage premunt alios, olidisq; profanant
Sordibus? In vetitos an non satis isse Triumphos
Indignam Pelagen? non quae tractare pudicos
Ausa pedes Domini, iusto licet increpet illam
Ore Simon? non innumeras, quas non nisi fessus
Enumerem? placet, huic etiam indulgisse calentes
Gymnadas, obscenisq; exercita ludicra mensis.
Esto. Poli (quamquam ò) Meretrix aspiret ad Axes:
Exuerit labes, Christo aspirante, nefandas,
Intrarit tacitas, me non prohibente, latebras;
Quid iuuat, ignotis assuetam degere in oris,
Ad Cali reuocare diem? quo cognita Mundo
Aggeret, heu, nostris maiora pericula Regnis.
Non ita. Tartarea vos hinc properate cateruae
Fluminis ad ripas, Solymam quod circuit Urbem:
Aëreas accite acies, inde agmine facta
Silvarum prohibete aditu, quicumq; proteruo

audedas

*Audeat ire gradu: finem dedit ore loquendi,
Ac sceptro signavit iter. Tunc Orbis opaci
Faucibus emergens, tenues exercitus auras
Occupat, & medias inter terramq;, polumq;
Aduocat Asmodeus fraterna voce cohortes.*

*Protinus accincta facibus Phlegetonte reſectis,
Obſedere nemus. Puro ſic melle liquentes
Ne ruat in cellas, preciſi raptor honoris,
Cecropia ſtipantur Apes, portisq; malignis
Opponunt animas, vibrandaq; ſpicula in hoſtem
Exacuunt. Lucus tatroſ exhalat odores,
Per truncos ſimulacra volant, feralis opaca
Vultur fronde ſedet, metuendus carmine Bubo
Ingemit, infauſtaq; ſonant ſtrigis omina, ſpectes
Cerberi tria colla Canis, Sphyngaſq;, Chimæraſq;,
Hydras, Harpyas, & Gorgonas, & Centauros;
Quaq; tenebroſo lineſcunt Monſtra Baratro.*

*Iamq; Palæſtiniſ propior ſit Zoſimus umbris,
Iamq; pedes inferre parat; ſubito ecce tumultu
Silua fremit, rabieſq; armata inopinâ phalangis
Frondeb; erumpit, gradientemq; igne minaci
Turbat, & ab furuiſ lucorum ingreſſibus arcet.
Ille tamen pergit: ſedenim concepta latentem
Aſperat ira Feras, te vi grauiore repellunt
Sanctæ Senex, in te rapida plebs cruda Gehenna
Graſſatur, crebrisq; minis vix ſufficis vnus.*

Ergo

14 De vita D. Mariae Ægyp.

Ergo animi dubius pressit vestigia, secum
 Multa putans: ceu si motam pugnantibus Austris
 Viderit esse Ratem Dux, ambigit atrane contra
 Nubila, & aduersas ventosi fulguris iras
 Tendat, & an pauidam referat naualibus Alnum:
 Attamen Arctoa sperans de parte salutem,
 Acrius urget aquas, & multo remige pontum
 Verrit, & inuitis fertur trans aquora ventis.
 Sic prope, suppetias Regem dum poscit Olympi,
 Et mouet arcanas voces, immanis eundi
 Impetus increuit. Necte, Pater Optime, vota
 Prateriere Senis; sed, quem Garganus adorat,
 Conspicuum iaculis, pulchroq; Adamante rubentem
 Accersis, Solymaq; hostes regione fugandos,
 Edicis; cursu arrepto, tecta ignea linquens,
 Bisquinaeq; plagas, qua flammea sidera flammis
 Fæta creat regio, & clypeis candentibus ardet,
 Constitit, & tremulam iam iam victura senectam
 Agmina, liuentes caelesti fulmine ad umbras
 Trudit, & Empyream remeat festiuus in Arcem.
 Quam Lemurū numerosa cohors! aut quale per auras
 Murmur! ut æsini cum lux optanda sereni
 Desyt, ac pluuijs fecundior ingruit annus,
 Grandine inundat humus, rapido qua concita lapsu
 Dissilit, & Baccho grauidas exterminat umbras.
 Horror abit siluis, quæ nil crudele minantes.

Accepere

Accepere Senem. Luci frondentis opacam
 Explorat taciturnus humum, non abdita cæcis
 Antra latent scrobibus, non longum ducta per arcum
 Frondea tecta virent, non robora Querna patefcunt.

Ergo secretas Nemoris prætermeat oras,
 Bisdenosq; dies, per inhospita tesqua, per amplum
 Tendit iter spatium, campisq; patentibus errat.

Attigerat mediæ Titan fastigia Cali;
 Cum, matutino qua lux Phaëtontia mundo
 Panditur, obtutus voluens, sic farier orsus.

Alme opifex rerum, primo qui Germen ab ævo
 Elicis, & sanctum spiras non vnus Amorem;
 Incertas errore vias, gressusq; seniles
 Dirige: si quondam gentilibus aubeor aruis
 Te propter, si tecta libens aliena frequento,
 Annuus ignotos gradior si sponte per agros:
 Da mihi, vel veterum vestigia nosse Parentum,
 Da, vel Eremiticam, melior quo auctore nitescat
 Lux animo, resideſq; abigat de mente tenebras.

Audijt Omnipotens, totumq; assensibus Axem
 Impulit. Oppositam Scythia respexerat oram:
 Tunc e longinquo species transmissa, pauentes
 Spargitur in visus, niueo fax debilis orbe
 Redditur, & tremula caligat imagine forma:
 Suspensam tamen euariant spectra obuia mentem,
 An, que sopitos sensus simulacra flagellant,

Hauferit

16 *De Vita D. Mariae Aegypt.*

*Hauferit, aut agris qua somnia fingit amaror.
Contraxere metum crines, transfusus in artus
Terror igit; nostra aëlutum vexilla salutis
Exerit, obstantesq; oculis fugere tenebra.*

*Ecce procul tepidos MULIER spatiat ad Austros,
Tarda gradu, nullo velamine corpus amicta,
Nigrantes enecta genas, mensura comarum
Tenditur aure tenus, fusco vigor entheus ore
Diffluit, occultos anima qui prodit honores.
Nunc protensa manus, scelera impia defodit Orco,
Nunc iunctas referens ad pectora, scibilis Astra
Suspicit, & patrium tacite suspirat Olympum.*

*Continuo stupidas opplentia gaudia fibras
Dant studio feruere via, mora nulla coërcet,
Haurit anhelus iter, seniumq; imbelle fatigat
Impiger, & sterilem late metitur arenam.
Nec minus, atatis post lustra nouena peracta,
Inspectus MARIAM recreat Pater. Ast ubi cursu
Sollicitum, seseq; gradu propiore petitam
Respicit; angustis qua faucibus area deses
Arctatur, nigraq; patent consinia terra,
Molitur diuersa fugam. Sic euolat Alnus
Ad volucres conuersa Notos, si limite Eo
In suamet cernat ferri armamenta Carinam,
Hostilemq; putet: feruentius instat; at imas
Illa rapit suspensa vias. Concluditur arcto*

Area

*Area longa sinu, scatebras quo deuius olim
Egerat allapsus per saxa rigentia Torrens:
Nunc sterilis, nullaq; tumens vligine venas,
Peruia Phoebigenis extendit viscera flammis.
Huc ubi peruentum, paullum fuga forte remissa est.*

*Cum Pater. Aetherios audium cognosse clientes,
Atq; ideo emensum Solymi tot iugera Regni,
Alloquio dignare, Pater. Quid scrupea gressu
Rura voras, placidoq; senem non ore tueris?
Desine, per Superos, cursu iam temet anhelò
Conficere: Eumenidum non me huc furiale venenum,
Non Erebi fraudes, inimicaue adegit Enyo.
Porro hac consilio, Diuisq; vocantibus arua
Afferor. Ab saltem fugitiui lumina vultus
In me verte tui: sint o mihi lumina tanti;
Quando, vel in media campi regione, petentem
Optata refugis similagine pascere lingua.
Talibus orabat, lacrymaq; per ora fluebant.*

*At contra Mulier. Ne, Zosime, perge sequendo
Femineos vexare pedes; muliebria dantur
Membra mihi, radios que non impune tuentur
Solis, & assuetam tenebris nigrescere noctem.
Tu potius, promissa tegunt que tegmina pallam,
Interius que corpus obit, concede roganti.
Sic umbrata humeros, vestemq; accincta fluentem,
Adspectus patiar, iam nil auersa viriles.*

B. Obstupuit;

18 De vita D. Mariae Aegypt.

Obstupuit; grauidumq; gerens formidine pectus;
Pane retro conuersus abit. Quid nouerit, inquit,
Femina, desertos celebret qua condita c. mpos,
Me Mundo emersum primis qua Mater in annis
Voce salutarit? secum dum talia voluit.

Confestim sacro vibrata ab Flamine Lampas
Multifido ambiguum radiorum aspergine mentem
Irrigat; agnouit manifesto numine ductam
Ignotum proprio se nomine compellasse.
Ergo superiectos armis deponit amictus,
Contentus secreta regi, vultuq; reflexo,
Progenies ut bina Noe, qui forte superitis
Molibus undarum merium noua secula in Orbem
Transtulit; aduersas clamydem proiecit in oras.
Arripit iniectam Mulier, tergoq; refusam
Ante sinus solido dstringit fibula nexu.

Tum iuuat exutam rugis aduertere frontem,
Inq; hominem vibrare oculos; suspensaq; mentis
Viscera latitia dulci perfundere nimbo.
Inde ait. Et tantum potes exhaustisse viarum
Me propter? quidquamne aui properere tenebrae,
Quod solem meruisse queat? per deuia mundi
Degimus, & leges patimur telluris iniquas,
Immerita castas hominum spirare cohortes
Inter, & innocuas vite melioris Alumnas:
Denum grande nimis, communi vescier aura,
Cumq;

Cumq; Astris Phaëtonta pati. Nec plura, repente
 Infirmum curuare genu, capitisq; verendam
 Caniciem prostrare solo, blandusq; precatu
 Exorare tuam, tellus Galilæa, colonam;
 Armet ut orantem signo, quò in Tartara tendit
 Noctis amica phalanx. Non segnior illa petentem
 Summouet, ac supplex etiam procumbit: uterq;
 Alterius luctatur opem, seseq; vicissim
 Inuitant, verboq; simul de principe certant.
 Haud secus Heroas, refici dum mitibus optant
 Colloquijs, pugnasse putem, quibus æthere ab alto
 Duplice pro victu maiorem detulit escam
 Coruus. adhuc anceps agitur lis, quis prior ore
 Inchoet, & sancto recreet sermone secundum.
 Cum generata Pharo. Tibi debitus, alme Sacerdos,
 Vocis honos; qui liba Deo, dum mystica Patrum
 Ornamenta geris, purgatis frugibus offers.
 Quid maius? modico Regem concludere in Orbe,
 Cui sedes angusta Polus, cuiq; omnia subsunt,
 Et noua calestes trahere ad spectacula maniplos.
 Infra te Isacides, cedit tibi gloria magni
 Moseos, & quorum mentes caligine septa
 Occiduas Legis Christum nouere per umbras.
 Ille sub hac. Et te Superum presentior Aura
 Roborat, vnde animo, qua nusquam videris, herens.
 O Cælo cognata Charis, nec fascibus ullis,

20 De vita D. Mariae Aegypt.

Nec secum qui sceptrum coquat bene digna locari.

Tu, Dea, secundum guttis caelestibus antrum

Corporea regionis habes; nil fraude maligna

Insiceris, turpesq; animae fugis auias sordes.

Ne, Mater, frustrere preces: Crucis aurea per te

Signa salutifera firment mea pectora parma.

Victa rubet, paulumq; oculos demissa, modeste

Annuit, atq; senis vix tandem indulgit amori.

Protinus assurgunt; mox qua vicinior agger

Eminet, & totam late despectat Eremum,

Et non ingratham sedem languentibus offert;

Exiguum meditantur iter: defessus euntes

Destituit, fluctuq; volans se condit Hiberno

Phœbus, & emersum reficit Cythereidos Astrum:

Hic MARIE. Quando autem te huc caelestibus actum

Auspicijs, manifesta fides: dum defluus orbem

Splendor habet, puroq; fauent Astra alma sereno.

Incipe, qui Mundo Reges, quam firma per Vrbes

Relligio, Fidei cui commendentur habena,

Et longum ignoti seriem mihi differe saeculi.

Qui nihil ancipiti poscentem voce moratus:

Narrat. Anastasium, cui cura exesse nefandis

Christiadas odys, hostiliaq; arma fouere,

Post domitos bello Siculos, & Isaurica Regna,

Impensasq; auri turpi pro foedere massas,

Iratos sensisse Polos, incendiaq; atris

Fulminis

Fulminis obscuris Orci expirasse sub umbris.
 Te pariter, primo fueras qui solis in ortu
 Pingua lanigeras ad pascua ducere turmas,
 Atq; sub occasu notis includere septis;
 Sederis ut rerum folio, sceptrisq; verendus
 Felix Casareo radiaueris vnus in oestro
 Aequior Eunuchi, Iustine, peremptor Amantij.
 Principe te, versi in melius Pietatis honores,
 Hæreseon restincta lues, Fideiq; profundum
 Vlcus te solo passum regnante recidi.
 Hinc plaga latatur Syria, ditionis Eoæ (mes,
 Regna, Tyrusq; fremunt; hinc crebrior incola Idu-
 Et Calcedonij tellus iam mitior orbis.
 Tu fortes Hunnos, in pralia Bosphoron armas,
 Prosternis Cabaden, populos tutaris Hiberos.
 Felix Hormisda sæclum! cui nempe tot inter
 Vndarum cumulos, Petrum, Cymbamq; petentes,
 Cernere paciferam de Calo labier Irin
 Contigit. Adde ortum Scotorum finibus Astrum,
 Adscriptum Calis Astrum, te scilicet ingens
 Brigida. Sed Thusci fors durior illa Ioannis;
 Dum Theodorico mastæ fera sceptræ regenti
 Italia, in longas legatus truditur oras
 Casaris, iniusto pro fœdere desidis Arrij:
 Quamuis eximium laudis per rura Corinthi
 Reddas Equus, quem plenū animos, passq; superbum

22 De Vita D. Mariae Ægypt.

Pondere compressis nunquam conscendit habenis

Femina. Tu extremis quo floreat usq; sub annis
 Firma Fides, mundiq; plagas, ac littora victrix
 Occupet, excussis niuibus quæ semper abundant,
 Quæq; calent rapido Solis propioris ab igne,
 Quæq; tepent; precibus non indignabere fuis
 Implorare Deum. Puppis quam plurima remis
 Bracchia nixa mouent (Mulier tunc excipit) undas
 Discutit, optataq; sedet perniciosæ acta:

Non secus æternas Oratio fertur in Arces,
 Et Triados genua alta tenet; numerosior illam
 Si remex agat, atq; hominum multo effluat ore;
 Paret ab his Senior, sanctiq; ut Flaminis auram
 Concepit, sese totis complexibus arctans
 Sternitur; illa tuens, rubro quam limite partem
 Oblinit, Antipodum nigras dum deserit oras,
 Et remeat nostros Hyperione natus ad Axes;
 Paullatim erigitur, mediasq; effertur in auras,
 Inde immota manet. sic prima a sede reuulsa,
 Orbe sub infanti suspenditur aëre Tellus,
 Aeterni Genitoris opus. sic rore pudico

Quæ plantas Christi ablutas fragramine Nardi
 Sparsit, & effusis terfit gemebunda capillis,
 Extremos rigidis ducens in vallibus annos.

At Lemurum Princeps, medijs qui tractibus errât,
 Triste licet doleat, Nemoris patuisse latebras,

Desertoq;

Liber Primus.

23

Desertosq; Agros, suaq; agmina passa repulsam,
Elusum Ditem, cassas uentibus artes,
Nec iam posse obito seniore avertere campo:
Inuidia maiore calens; quo more Leones
Verbere se cauda stimulant in bella ruentes,
Se se acuit, Fratremq; vocans, cui munia mentem
Flecteri, & (heu pronā) trahere in conuicia linguam.

Quamqua, inquit, plures conamina nostra p̄ horas
Duci haud posse reor, vicinaq; numina pugnant;
Vel minimum nos usq; iuuet; Pater unde rigorem
Mutat, nec p̄nas prorsum patiamur inulti.
Apicis, ut terra emineat, palmaeq; supinet
Femina? ut acclinis senior tellure moretur?
Carpe viam pernix, nocituras excute vires.
Tu potes affixas templis, tacitumq; gementes,
Et tamen arcana prece pignora suspirantes
Arguere, immodico implerint ceu viscera Baccho:
Tu potes instabiles undas dum calcat Olympi
Vindex, attonitis mirantium cordibus altos
Insinuare metus, turpe ut Phantasma, cauamq;
Corporis effigiem credant; tu doctus honorum
Frangere iura, dolos serere, atq; odia aspera ferre:
Tende truces animos, nec mollia tempora differ.

His dictis, mentis fulmen non ocys errat.
Itq;, reditq; vias Erebi, rerumq; frequenti
Agmine, quotquot habent armamentaria Ditis,

24 De Vita D. Mariae Ægypt.

Deligit immundum Calicem. Pauor ingemit intus;
 Consiliumq; animi præceps, linguaq; malignum
 Virus, Tartareoq; latex libatus ab amni.

Namq; ferunt: postquam detrusas axe cohortes
 Æreæ obruerunt aeterno carcere nubes;
 Exclufumq; hominem Nemorum felicibus oris,
 Olim autem vacuas rediturum in Principis Arces,
 Saviour excepit mundi plaga; nocte, dieq;
 Seruantem memori Sathanam sub pectore vulnus
 Mille extruxit artes, & nomina mille nocendi
 Germinis in magni exitium: sed ea inter amaros
 Excudisse Scyphos, & pestiferos Crateras,
 Aptos Eumenidum serere in præcordia peſtes.
 Hinc, & qui Inuidia ſtimulis igneſcit, & Ira,
 Quiq; tumet, miſeroq; auri pallescit amore,
 Quemq; iuuat rugis frons obſita, quiq; calēſcunt
 Ventris ab ingluuie, fædoq; Cupidine feruent,
 Ante nigram ſaniem, monſtroſaq; pocula biberunt.

Fit propior, pronumq; ſenem ſurtim afflat, & atra
 Proluit in patera: perlapſus ad intima inundat
 Humor, & orantem exturbat, qui lumina tollens
 In MARIAM, extantemq; ſolo, nec labra mouentem,
 Turbato trepidos in pectore concipit içtus,
 Membraq; prærepto torpent deſectâ calore.
 Tunc anceps dubio ſenſus ſub corde recurſat,
 Æreone ſinu tenues obduxerit artus

Spiritus,

*Spiritus, horrendi specubus deductus Auerni,
Feminea ignarum tacite qui eluderet umbra.*

*Et secum. Quæ, Calicola, funesta parantur
Monstra mihi? post implicitas, longasq; viarum
Ambages hac parta quies? ut scilicet astu
Cingar, & in rabidum miserandus deferar hostem?
Ah, quid, dum cursu fugientis concita feruet
Area, & adpectu se subtrahit inuida nostro,
Sufficitis vires, & nil obstante senecta,
Firmatis tremulam per crebra efflamina mentem?
Tunc tempus gressum cohibere, dolosq; paratos
Præmonstrare Polo, tonitru sub sidera misso.
Nunc iuxtim furui fax despectissima Regni
Ore preces vomit, & sedes suspirat ademptas?*

*Sic miser ad multam noctem trepidantior Agno
Fluctuat; undoso nutantem gurgite Petrum
Dixeris; & fessam Mundo vanescere Lunam,
Et Calo Paphias gaudet fulgere fauillas.*

*Viderat arcano curarum pondere pressum
Nata Pharo, sparsamq; senis per pectora nubem.
Ceu vitreas sol transit aquas; nec claustra fluentis
Materia abrumpit, multo nec lumine frangit.
Tum panidum dictis firmans. Nec te penes, inquit,
Tartarei vis vlla Ducis, nec te vlla furentum
Fax petit Eumenidum: mentis quin excutis umbras,
Et reddis iam tute tibi? mortalia cerne*

Membra

26 De vita D. Mariae Aegypt.

Membra: queunt longis obnoxia Solibus vri;
Ventorum gelidis perculsa rigescere pennis;
Interioris veros anima epotante dolores.

Sic dulces radios in te supremus Olympi

Rektor agat, mersumq; nigra caligine Mundum,

Et crudas tibi Legiones usq; gementem,

Cernere det, qualesq; parent in praelia casses,

Quotq; plicent hominum, venantum more, manipulos.

Tantum effata. Sinus, humeros, vultumq; superne

Quadrifido emunit signo; nouus inde refertit

Ora nitor, viuas iaculantur tempora flammis.

Mosen lucifluo credas a monte reuersum;

Vique adeo iubar irradiat: tunc ille resudans

Epotos latices insertaq; semina culpe,

Concidit in vultus; atq; hinc de plebe videtur

Cornutam faciem non agnoscente beati

Principis; hinc gremio cum quis preceptus anhelat

Doridos, aduersi miscent ubi fulgura venti,

Siat rationis inops; tandem ut lux reddita menti,

Proditaq; occultis defleuit crimina guttis;

Per rerum Dominum, per carnea vincula, quis se

Implicuit, cum siderea Genitoris ab Arce

Fluxit Virginea media inter claustra Puella,

Auspice quo crude per tela argentia brumae,

Nimborumq; minas; fluidosq; e nubibus imbres,

Perg; Cleonaeos graderis vel nuda vapores:

Annorum

Annorum ne conde moras, ignotaq; vite
 Lumina; pande mihi Quæ sis, qua duceris Urbe,
 Quid petis, & sedes tacitas quo Sole frequentas.
 Pande libens; tua laus agitur, dator Optime, tuq; hinc
 Nosceris, v, q; tui luttans caligine Mundi.
 Quæ diam secretæ beat sapientia mentem,
 Dives inauratos operit quæ glæba fluores,
 Vllane venturis referent compendia damnis?
 Sed nec Fama nocens, doctusq; obtrudere palpum
 Arguerit te laudis amor, Deus omnibus auctor,
 Quo duce non notis plantas impressimus aruis:
 Nec fallor, primæ memini data signa senectæ.

Sexdenos Veris tercrem cum forte recursus,
 Ditigenum premor insidijs; qui plurima dum Nox
 Incumbit terris, & habet mortalia Somnus;
 Mentiti sanctos Superum de gente Ministros,
 Vocibus his vsi mecum. Te, quem noua Calo
 Gloria sublimem caelestibus euehit alis,
 Cuius & in Solymis nomen percrebuit oris,
 Quæq; Palestina surgunt in culmina Valles,
 Venimus admonitum. Tempus iam deniq; sacris
 Insedeas claustris, ne te per rura vagantem
 Spectet ab Axe Deus; veniet longinquior hospes
 Te visum, innumeris qui dotibus aurea vincis
 Sidera, quotq; obitu pariter lassantur, & ortu.
 Ibam nocturno tumidus præcordia visæ,

28 De Vita D. Mariæ Agypt.

Lactabantq; rudem mendacia credita sensum.

Cum mihi (pro Superum pietas!) se obiecit eunti

Ignoti noua forma Viri, qui voce verenda

Orci aperit fraudes, verisq; hortatibus implet.

Tende alio cursus, Patremq; imitatus Abraham,

Orbe tuo egredere, & castam Iordanis ad oram

Siste pedem. Gens tecta cauo capita alta cucullo

Propter agit, qua Sol radijs nil iustus ambit.

De grege iam dicor; leges hinc nempe secutus

Non sine mente Dei nouus ad te deferor hospes.

Nam qua luce latens Christus, frondentibus errat

Siluarum latebris, patiturq; dolosa profundi

Tentamenta Ducis; lapides ut vertat in escas,

Irruat in praeceps, Princeps dominetur in omnes;

Abscedunt tectis Patres, cunctosq; peragrant

Circuitus, quotquot lambit vicinior amnis.

Lex ea digressis. Vni gradientur, & instent

Vsq; via; donec tergo deuectus Afelli,

Dum Pueri palmis, terramq; tapetibus ornant;

Illustrem Dominus Solymorum ascendat in Urbem.

Ille hac. Cunctatur Mulier, propiorq; coacta

Incipit, ima alto suspiria pectore ducens.

Et pudet infectos maculis tibi prodere mores,

Et, ne pollutus memoratis sordibus aër

In nubes cogat sese, turbetq; loquentem,

Extimeo; tuq; ipse oculis obtendere palmas

Cogeris,

*Cogeris, vita metuens opprobria nostra:
Forsq; alio captabis iter: ceu gramine campi,
Cum, quis in obstantem vestigia torserit Hydram,
Laus abit, flexoq; pauet fera sibila gressu.
Si tamen emeriti dulce est cognoscere sacri
Dedecus, ut nudam nuper tibi visere promptum,
Omnigenum nudabo nefas, morumq; meorum
Dissidia, & scelerum fontes ab origine pandam.*

Libri Primi Finis.



I O: B A P T I S T A E
L A V R I P E R V S I N I
C L E R I C I S E M I N A R I I

De Vita

D. M A R I A E A E G Y P T I A C A E.
L I B E R S E C V N D V S.



CONSEDERE loco, pronaq; ubi fron-
te parumper
Conticuit, ducto sic longius inchoat
orsu.
Qua septemgeminos fluit erupturus
in amnes

Largior, aestivo Nilus magis imbre tumescens ;
Terra mihi gentile solum. spirabile Solis
Hic lumen, primaq; hausi miseranda tenebras.
Nec vero annorum referens elementa meorum,
Nutricum teneros lusus, dulcesq; Parentum
Blanditias, quæ bisseis mihi cognita in annis,
Aegypti portenta canam, dirasq; Deorum
Effigies, Patrum cultis orientia in Hortis
Numina, & eductas Heroum ad sidera Turres :

Sat

Liber Secundus.

31

Sat primas qui curas; tunc ducere eburno
Pectine caesariem, nodis innectere, in orbem
Colligere, intortam niueis aspergere gemmis,
Infuscare genas, inquirere quæ noua formam
Damna iuuent; quæq; in mores infanda pudicos
Coniurant, vertuntq; animos. Duodenus adulta
Fluxerat Autumnus; patriaq;, domoq; relictis,
Adueni; Emathy qua stirps generosa Philippi
Condita marmoreo iacuit post fata sepulcro.
Sola quidem, multo at Veneris deducta paratu:
Munit iter vinculis insana Licentia ruptis,
Fertq; faces impurus Amor, Petulantia circum
Errat, & effusi Risus: tunc perdita, & amens
Incustoditi iura exsoluisse pudoris,
Et memini, & meminisse pudet. Quæ mollior atas
Patrarit, cæcis iam peruia facta ruinis;
Quis fando plenos oculis non exprimat imbres?
Exsequar illa tamen; quamquam meminisse, latentes
Mens abit in lacrymas, & pectora mæror acerbat.
Quam fera nox animo, quam nil iucundius illa
Luce mihi; qua Virgineas despexerunt coronas,
Atq; Cupidineis potui dare colla catenis!
Ex illo crebris indicere ludicra mensis,
Inq; iocos laxare dies, nimiumq; proteruis
Ibria delicijs, lusus geminare procaces
Ocepi: non muneribus ducebar opimis

*In Venerem; Veneris merces vel magna, voluptas,
Et geminandus amor: mentisq; infra atria nostra
Omnis gazarum penitus subsederat ardor.*

*Quin ego sæpe hominum vel prouida corda cœgi
Incestare Polos, sopitaq; pectora in ignes
Arrexi, nec cura animo: nam sponte ferebar
In luxus, sensumq; malis excusserat usus.*

*Nec mihi quis Pelagen, peritura aut Baidis acta
Præferat, aut sacris quæ furtim elapsa latebris,
Indulsiit ganeis, donec Pater exitus Abrham
Militis effigiem mentitus, & ora procantis,
Rursus in antiquæ claustris conclusit Eremitæ.*

*Iamq; recensitos ultra ter quinq; Decembres
Exierat Titan; & adhuc sine fine fruebar
Illecebris, turpesq; trahens ingloria noctes,
Ingenti Macedum macularam crimine terram.
Fors etiam sensere nouam tecta hospita pestem,
Et populi timuere luem, propiusq; periculo
Ad Superos fudere preces, ne impune vagari
Talia Niliacas paterentur monstra per Vrbes,
Areret fons iste mali, siue acta Getarum
Trans scopulos, sparsum maculis traduceret auum,
Ingenio peritura loci. Non irrita voces
Detulit aura tuas, Vrbs labibus oblita nostris;
Ante utinam tales fudisses ore querelas,
Addictam Strygis quæ me rapuere cauernis.*

Tempus

Tempus erat, cum vicinum properaret in equor
 Late hominum conferta manus, quos humida Nili
 Clausura tenet, quos Coptos habet, monstrosaq; pascit
 Aegyptus; Lybicus quos montibus educat Hammon,
 Et Ptholemaea Pharos, nimisq; exhausta Syene
 Ignibus: ardet iter, ruit indiscreta iuventus
 Oblonga ad talos spectanda in veste, lacertis
 Taurinam pellem, dextraq; hastilia gestans;
 Omnibus in vultu Pietas iam scanditur Alnus,
 Et medio fertur Zephyris spirantibus alto.

Parte alia crebras alij densare biremes

Ad littus, mistisq; sinus onerare manipulis.

Obsupui, atq; adeo rerum studiosa nouarum
 Appropior Iuveni. Dic o quid tantus ad undam
 Concurfus? quo terrarum gens confluit isthaec?

Ille autem. Sacras Solymorum tendit ad Arces,
 Spectet ut inclusum gemmis venerabile Lignum,

Christi Illustris decus, cuius sollemne trophaeum

Proxima Luna refert: si suaserit ire voluntas,

Tunc ego, composita reris me puppe receptent?

Donetur merito, subdit, si Nauita naulo,

Has certe tranabis aquas. Mihi munera nulla,

Nulla mihi argenti vis est; sed certus eundi

Impetus expositum iam destinat ire per equor.

Ibo audax, & si rerum ferar indiga, & expers,

Haud expers tamen ibo mei. Subrisit; at ipsa

34 De Vita D. Mariæ Ægypt.

Vsq̄e furens, Pinum gelidas tum forte parantem
 Nereos ire vias, conscendi; interq; inopinas,
 Sicut eram malefana, procax, elumbis, & illex,
 Delibuta comas, fucato splendida cultu,
 Emicui luenum, portentum immane, cohortes.

Hic ego quas scelerum facies, quantumq; per omnes
 Conflarim miseranda nefas, quis carmine digno
 Explicet? incesta potuin Mare findere puppi,
 Perq; profanatas errare procacius undas?
 Continuitq; manum Genitor, ne calitus ignem
 In fontem iaceret; ne venti aduersa frementes,
 Urgerent fessas in saxa latentia tonsas?.

Prò Pietas? desauit hiems per carula, Ionas
 Dum dicto parere negat, Monstriq; reclusis
 Faucibus hauritur: liquidum dum Legifer Heros
 Currit iter, Rubriq; Maris curuatur utrinq;
 Lympha fugax, medio Pharaon iacet obrutus alueo.
 Ast ego contemprix Superum, fax subdola amoris,
 Quaq; meos comites sub iniqua Cypridos arma
 Hostis amica adigo, non deturbata ceruchis
 Pisce voror, restua non obruor equoris unda.
 Sed tutam, nulloq; Aquilonum turbine raptam,
 Emensam placidi terga inconcussa profundi,
 Optato exponit Ratis imperterrita portu.

Iam tractus, Iudea, tuos, Solymaq; legebam
 Rura plaga, magno luenum circumdata cœtu:

Eoum

Eorum qualis Phoenix cum migrat in orbem,
 Pone Auium grex magnus abit; cum protinus omnis
 In partes rapitur varias, & me vagus unam
 Deserit. Agnosco subiti quæ caussa recessus;
 Plurima nam pubes diuerso ex orbe profecta,
 Puluere sparsa caput, ieiuno pallida vultu,
 Supplex aeterni Tumulum Soteris adibat.

Sed mens caca anima, scelerumq; infusa per artus
 Semina, iamq; calens media de puppe libido

Præstrinxere oculos, nec rem nisi simplice sensu

Tunc bibo. Digressos petulanti plena cachinno
 Prosequor: Innumeras non est amor ire per Arces
 Urbis Idumæ, non aurea visere Diuum

Limina, & effracti vestigia peruia Templi,

Non muros toties obitos, totiesq; renatos,

Tecta alia, atq; alias vestigo sedula turmas.

Nec labor; aspirant votis Phlegetontia nostris

Numina, & occurrunt passim, quos labe nefanda

Polluere, & solito placet eneruare veneno.

Hic etiam quanto temeravimus hospita luxu
 Mœnia? quot, quales animorum euertimus aras?

Hinc (merces speranda reis) pro talibus ausis

Flos Vatum, Regum Princeps, terrorq; Gygantum

A Saule infernam qua pellere suetus Erynnin,

Ad Cytharam palmas iterum retulisset eandem,

Pelleret ut patria scelus hoc quanto ocys Urbis;

36 De Vita D. Mariae Aegypt.

Ni Pater omnipotens, cuius clementia cunctos
 Didita per populos, crimen quodcumq; superstat,
 Frangisset Regem, melioraq; fata parasset.

Festa dies aderat, solitoq; illustrior undis
 Sol caput extulerat: mihi cum ruere agmine magno
 Visa acies hominum, non densius aëre bruma
 Lapsa cadunt folia, & sedem concedere in unam.

Constantiniadum moles operosa resulget
 Urbis in amplexu, tentenis nixa columnis.
 Huc gens tota fluit feruent vaga compita, puluis
 Fuscatur nube vias, & gressu tardat euntes.

Ire iuuat: prius extantes in vertice cirri
 Mistis rosis unguenta bibunt, sparguntur odoro
 Nectare, & effuso tenduntur syrimate vestes.

Quaę, superfusum multa caligine vulgus
 Adfremit, ac ritu undarum, cum nubilus Auster
 Insultat pelago, sine more vrgetur, & vrget,
 Irruo. Quae nostro poterat par ire furori
 Eumenis? acta locum gens dat, sed & inter eundem
 Pacem oculis, bellumq; gerens, concludere furtim
 Ardebam teneras Cypraea in vincula mentes.
 Ast aditu prohibet flammam, animamq; tuetur
 Cura vigil, nostroq; timens captiua subesse
 Imperio, huc propius petulantem impellit, & illuc.
 Ventum erat ad limen. Gelidam porta aurea Calpen
 Spectat, inocciduis Domini circumlita signis,

CruX

*Crux hinc, Crux illinc, geminis ea symbola valuis
Præradiant: iam Tempia patent, turbamq; frequentem
Expectant; stat densa phalanx, & pressa, premenſq;
Angitur, atq; auido semet feruore fatigat.*

*Irrumpit tandem, magnosq; effusa tumultu
Ilebs natat in templo, pugnatq; gaudia carpit.*

*Vt trabe multiplici cum crassa exire vetantur
Flumina, ventre tument, donec superantibus undis,
Oppositas vincunt molis camposq; pererrant.*

*At non immistam populis, aliosq; secutam
Accipit ampla Domus; quin vix pede lambere limem
Aggressam tacite vis improuisa coërcet,*

*Accessumq; negat. Quid tum? viridisne iuuenta
Robur hebet? crebra comitum num fracta procella,*

Speratis mea Cymba nequit succedere arenis?

*Ergo sacros aditus iterumq;, iterumq; retento,
Postibus intactis iterumq;, iterumq; repellor.*

Quoq; magis fusæ coëunt in pectora vires,

Inq; fores accensa feror, violentior insto;

Hoc magis excludor. Retro sic ire Magistrum

Defunctas Nereo conantem trudere classes

In portus, a fronte minax saepe impulsi Euris.

*Quid facerem? cedo in partem, quando intima sanguis
Sauciat, & mentem nec-opinus concutit horror.*

*Dum vagor adspectu, num quis me forte retrusam
Eludat, rerum facies occurrit utrinq;*

38 De vita D. Mariae Aegypt.

Bina, duplex Paries vasti latera utraq; Templi
 Ambit, quem quondam radiantem mille figuris
 Artificum duxere manus, operumq; sacrorum
 Impressere notas. Animi componere fluctus
 Possit, mihi res visa satis; propiore sinistrum
 Planta adeo latus, & pictura lumine pascor.

Hic Puer Abramides Genitoris iussa capeffit
 Impiger, & gladium manibus, flammamq; ro galè
 Gestat ouans, & fasces humeros oneratus acerno,
 Festinat celsum montis superare cacumen.
 Praecipit hic senior Natum subsistere, onusq;
 Ponere, qui rudibus confestim Altaria saxi
 Construit, inde struem lignorum imponit, & addit
 Isacon, ambobus vinctum post terga lacertis.
 Extendensq; manum, nulla formidine ferrum
 Stringit, iamq; pia solamen dulce senectæ
 Immolet, & Gnati caros transuerberet artus;
 Ni sacer atheria dilapsus ab Arce Minister
 Arceat, & clausum arboribus pone Arietis albi
 Ostendat vellus, prima pro cæde litandum.

Illic Hebraeos, Chanaanæ insignia pugna
 Dum referunt, timor inuadit, pars tabe furenti
 Occidit, ignitos pars frustra summoet angues:
 Dux tamen, extremam Populo inclamante salutem,
 Castrorum in medio concretum ex are Cerastem
 Suspendit longo, qui sinderet aëra, conto.

Hinc

Hinc iussas acies oculos huc tollere, virus
Deserit, & fluidis abscedunt ulcera membris.

Parte alia duplices inimica fronte phalanges
Effulgent, fremitu hæ gaudent; grassatur in illas
Tristi corde Pavor; dubia dum sorte duellum
Vertitur, & totis spondentur funera campis.
Namque Philistæas ausum defendere partes
Terribilem membris, immanemque ore Goliath
Prouocat exigui Pastor gregis, illius arma
Pastorale pedum, lectique in fonte lapilli.

Hæc laus: Dextro rapior dein pariete; ibique
Eductus puteo truncum iam certus Iudas
Prodere quadrifidum, gemmata in sede sedentem
Sistitur ante Helenam supplex, tumulumque propinque
Culminis ostentat, Veneris delubra nefanda.
It subito Paphium pars excisura Colossum,
Pars fodit affixas rupes, & feruida saxa
Diffundit nitens, & toto pectore montem
Dissipat; incuruos alij exercere ligones,
Egerere & lapides, effractaque viscera terra.
Nec mora, scrobs aperit latebras; educitur imo
Crux triplex fundo. Tunc ex armata catenis
Bracchia protendens, iam non captiuus Iudas,
Aspicit, infremere horrendum Plutona per auras,
Et rabie stimulante premi; quod signa Tonantis
Eruta, quod veterum simulacra excisa Deorum.

40 De vita D. Mariae Ægypt.

Quæ vero e Crucibus Regem stellantis Olympi
Extulit applicitum, dum quaritur agmina toto:
Ecce sepulchrali iuuenis condendus in urna
Effertur; pheretro imponunt tria ligna, sed ultima
Arboris attactu, frigentia membra reuisit
Spiritus, & nostras admirabundus in oras.
Surgit: hic insuetis populum feruere choreis,
Et pane emota psalteria ludere dextra,
Cernere erat; uominam ante alias, quæ vestis honora
Reiecto fastu, posito Diademate Regni,
Et lunata genu, venerabile Robur adorat.
Nec procul hinc Solymi, Romanorumq; cateruæ
Metantur sedem Templo, spacioq; patienti
Fundamenta locant: struitur noua machina laeuè
Marmore, conspicuo ducuntur tecta metallo:
Et, ne vel multa moles immensa fatiscat
Clade, columnares firmant latera ardua dorsi.
Inde Crucis vexilla secat Regina, sacraq;
Partem infert Aedi, recipit Roma inclyta partem.
Sic ducebam oculos; subitus cum pectora terror
Occupat, accessus caussam, pia signa, Crucemq;
Insinuans: animæ in tacitum penetrabile receptus,
Elicit arcanos gemitus, animamq; nocentem
Arguit. Intrabis culparum arguta nouatrix?
Intrabis tandem? nec te scelus, atraq; turbant
Crimina, tot, tantisq; hominum ditata ruinis?

Ergo

Liber Secundus.

41

Ergo affixa malo, stolidaq; incendia mentis
Vsq; fouens, sædis venerandam gressibus Aedem
Attentare paras? te vox saltem illa superni
Numinis admoneat, qua quondam Monte nitenti
Spinoso inuolitans Mosén longe arcuit igni,
Pone pedum soleas, quam calcas, enthea terra est.

Tantum hac. Actutum excutitur despecta malorum
Congeries, quodcumq; actis peccamen in annis
Admissum, & prisca occurrunt discrimina morbi.
Erupere genis lacryma, crimenq; solutis
Fassa comis, geminas laxaui in verbera palmas,
Et pectus mista plangens furibunda querela,
Qua portæ conuexa super, de marmore viuo
Concauus Orbis adest, ubi splendet Virginis alma
Dulce puerperium, sustollo lumina, & undas
Corde vomens, tales effundo pectore voces.

Alma Parens, quam nec prima contagia labis
Ante ortus tetigere diem; nec gaudia postquam
Luminis hausisti, macularunt crimina tædæ;
Indulge misera veniam, qua conscia culpa,
Digna Gomorraas dudum bibere ore fauillas;
Si vultus, Regina, tuos accedo, tuiq;
Voce vel impura decus implorare fauoris
Haud vereor. Parce, o sæcli spes fida nocentis,
Neue oculos auersa pios mihi deme, proteruis
Quamuis hisce oculis specteris; fasq; bonumq;

Id

42 De Vita D. Mariæ Ægypt.

Id licet exposcat, maculosæ gentis inani
Obsequio tumeant, qui pallent crimine, quiq;
Virginea gaudent animam vinxisse corolla,
Virgineis pariter cultoribus vsq; fruantur.
Si uerax tamen has olim descendit in aures
Fama, tui confluxe uteri sub claustra Tonantem,
Labentem miseratum Orbem, subysse labores
Insuetos, duroq; affixum brachia malo
Puram animam medijs in fontibus expirasse,
Sontibus immeritam pareret qui nempe medelam
Morte sua, meritoq; reos arceret Auerno,
Da, Virgo, talem Natum quæ digna reperta es
Ingrato donasse Orbi, da posse referre,
Quod peperit mihi morte bonum. Tibi pectoris aram
Deuoueo, ritusq; pios imitata regentum,
Cum puppim emota certant sorbere procella,
Vota ferunt, pictasq; parant post vota tabellas:
Emersa e scelerum fluctu, tacitaq; repulsa
Libera, marmoreæ radiabit imagine forma
Hac facies, tabulaq; dabit vox ista loquaces.
Tu modo ne sanctis exclude a partibus, illud,
Illud ego ut Lignum spectem, quo nostra propago
Ridet tartareum, iam non captiua, Tyrannum.
Da faciles aditus: etenim si plena sui mens
Vel minimum se posse putat, non ullius unquam
Inquiner attactu sceleris, non crimine post hac
Polluar

Polluar: extremo inycimus iam vincla pudori,
Et fidam extremi partem promittimus aui.

Finieram. Trepidam penetrant caelestia mentem
Robora: continuo Fidei succensa calore,
Speq; pia Genitricis ouans, vestigia raptim
In vetitum refero limen, stantemq; cateruam
Opplo: dumq; imo sub pectore spesq;, metusq;
Concursant, tandem, vi nulla obstante, frementes
Transgredior turmas, dubitataque templa subintro.

Quid mihi tunc animi? quā leto in corde voluptas
Speratis hasisse locis? ne gaudia confer
Illius, ipsa inter qua murmura conuiuarum
Haud verita est Christi vestigia tangere dextra,
Impuramq; olim summittere ad oscula linguam,
Quamquam animi tunc pura: ergo introgressa cruore
Vsq; rubescenti defixi lumina Ligno:
Circum stant aræ centum, funalia centum
Fixa tolis, Mons abscissus, fractiq; molares,
Ac Domini respersa pijs sudoribus arma.
Vtq; oculis satis indultum, mentemq; capaci
Luce expleffe datum, pacem, veniamq; rogantes,
Mille verecundis affiximus oscula saxis,
Atq; exorata lente decessimus Aula.

Tollitur extemplo MARIAE prospectus in ora,
Ore autem. Quas ab? grates, aut quale rependam
Pectoris obsequium, meriti quod pandas abunde
Pondera?

44 De Vita D. Mariæ Agypt.

Pondera? tu veritas aperis mitissima valuas,
Et das siderei victricia signa tueri
Principis, atq; animæ sperata pace potiri:
Quam dedimus dignare animam; tibi colligit auras,
Dirige tu dubiam, venientia tempora vita
Instrue, venturis viuat quo dignius annis.

Hac ubi dicta: leues subito resoluta per auras
Vox sonat. Humentes i trans Iordanis arenas;
Hic tibi tuta quies, & summi terminus aui.

Nec plura. Imploransq; iterum per vota benignam
Parthenicem, gressum ad iussam cito molior undam.
Nec deest, conspicuo nudatam tegmine, palla
Simplice contentam, largæ qui munere dextræ
Dignetur; gestansq; manu tria liba, Syonem
Desero, & optati structam prope littora Ponti
Aedem adeo. Interea Sol occidit, altaq; montes
Vmbra tenet; saxo ingredior fundata vetusto
Templa, & ad ignotam procedo Numinis aram.

Quam super: Eximium fluuio radiare IOANNEM,
Rore leui, timide Christi sacra membra rigantem
Intueor; iuuenumq; choros hinc inde gerentum
Lintea; demissam caelesti sede Columbam,
Aeternum magni testantem Pignus Olympi.

sternor humi, teq; ore pio, Ter Maxime Vatum
Deprecor, assistas operi, meaq; æthere ab alto
Orsa iuues. Sed stellanti Nox ardet in vmbra,
Meq;

Meg; sopor placidis fessam complectitur alis.

Iam reserata dies, somnumq; a mente fugaram.

Illic multiplicis consueta piacula noxa

Concipio, lymphisq; manus, atq; ora refundens,

Attactu quas ipse suo sacrauit Iesus,

Antiquam celeberrimo Patrum de more Synaxim.

Mox flumen, salubrasq; loci transuecta; maligna

Qua sola, & humane trepidant saxa aspera planta,

Deferor, & cæca fugiens discordia turba

Agmina, inaccessi formidine perfruo orbis.

Atq; hic orta Pharo, facto iam fine, quiescet:

Ni pater: Imo agedum, ne, quæ tibi cumq; supersunt

Nube tegas; dulce emensum memorare laborum

Pondus, & exacti seriem percurrere filii.

Illa autem: Innumeras, lingua, exordire querelas,

Lingua, meos casus, & quor prope condita portu,

Pertulerim fluctus, feralibus incipe dictis.

Phæbe, quaterdecies stellantia templi rotasti

Septenos supra cursus; ex quo Vrbe relicta

Davidis, hos colimus, nullo infestante, recessus,

Nullo, inquam, infestante hominum; quando omnis ab

Exorta in me tempestas, hoc fonte dolorum (Orco

Triste fluens numerus. Ter senos torti per annos

Plus minus, his memini: quantum vicisse periculi

Auspice Christipara, quales superasse recordor

Dæmonis assultus; hinc accipe. Sapius agrum

46 De vita D. Mariæ Ægypt.

Pectus, & exhaustum lacrymis stringebat edendi
 Acer amor: tostas Cereris cum dentibus escas
 Attererem, subito laxi ludibria ventris
 Surgebant animo, quod terra, quod educat aër,
 Quod Nilus, quoscumq; Deos Aegyptus honorat;
 Adde merum Meroes, Mareotidis adde falernum,
 Cæci luxuriam Bacchi, preciosaq; mundi
 Fercula, quæ olim lasciva licentius atas
 Diffluxit; qua quando loci prohibebat egestas,
 Pallebam, maciemq; anima interiore coquebam:

Sæpe leues Cytharas, spirantia carmina, amantum
 Iurgia, molitas fraudes, resolutaq; in ignem
 Viscera, & effusas in mollia gaudia noctes
 Insinuans, mæstam iam non repetenda Libido
 Torquebat lente, viteq; in dura trahebat
 Tædia. Quid passas nocturna per otia pugnas,
 Iniectosq; metus referam? me tardus Hiberno
 Deserat ante dies, quam monstra in lurida versos
 Enumerem Lemures, quam spectra minantia cadem,
 Inflictas Erebi pœnas, promissaq; demum
 Funera, Eremicola quæ nusquam hausere priores.
 Me tamen, & vulsi penitus solatia morbi,
 Verberibusq; admista pijs lamenta tegebant,
 Et quæ, deuotos VIRGO haud frustrata precatus,
 Munifico spargit languentia pectora nimbo.

Hinc clades inter, vibrataq; tela profundis
 Fratribus,

*Fratribus, Angelicis incincta cohortibus, aliis
Visa exisse Polis, & me Mundi ima tenentem,
Despectamq; vltro sanctis animasse loquelis.*

*Fide animo, victrix tandem ditabere Auerni
Exsuuijs, meritaq; dabunt tibi Tartara palmas.
Perfer, & obdura: caelestis semita in arctum
Tendit, & angustus patitur vim limes Olympi.*

*His ego dum versor vicibus, transmissaq; vita
Tempora purgata cordis statione retracto,
Curarum extremas rediens Sol attulit horas.
Ex illo, hinc alio tristes abiere tenebrae,
Nec defecatum violasse hunc aëra fædæ.*

*Ditigenum potuere manus; vidi ipsa rebelles
Irrita conari, vidi ipsa immanibus Hidris
Ardere, ac tremulis iræ incandescere flammis,
Vidi etiam admoto procul ablegata flagello
Bella, odia, & Stygiæ nigrantia fulmina regni,
Et castos Superum post hic habitasse maniplos:*

*Qui sceleris puram, functamq; laboribus Orci,
Sape sacras secum duxere per aetheris oras,
Et patrij dederunt commercia noscere Celi.
O memores longum lucas, albisq; notandas
Velleribus, quibus Astriferas super edita moles,
Aspexi, Chaldaea olim prope flumina quidquid
Captiuus cecinit perplexo carmine Vates;
Quidquid &, Aegæo premitur qua proxima Nereus
Pathmos*

48 De vita D. Mariæ Aegypt.

Pathmos, inexplicitus fertur cecinisse Iohannes.
Sed summo laus summa Patri, qui saepe potentes
Dignatur folio, interea non despicit Orbis
Quisquiliis: quo more suos Sol arduus ignes
æque pauperibus donat, locupletibus aque.

Desierat iam plura loqui. Tamen unde tot annis
Exceptit Senior, frugum tibi copia? & unde
Vel leue nudatos tegmen contextuit artus?
Illud idem, illa refert, quo liquimus alta Syonis
Mœnia, & irriguas Iordanis obiuimus undas,
Temporis enectum vitio, nimiaq; senecta
Deciduum, tennes abijt velamen in auras.
Crebrius hinc tactum glaciali frigore corpus,
Grandineq; & crudo pluuiarum algore pêtitum,
Et Canis scary torrentia spicula passum,
Heu, quot sustinuit, quam magna incommoda? quot se
Induit in facies? posses modo dicere anhelii
Effigiem scopuli, refluxo cum tunditur aestu
Aequoris, hyblæ similem modo dicere ceræ,
Quæ perit, ardenti cum ponitur obuia Soli.
At mihi quas escas dederat pia dextra, diurno,
Nocturnoq; gelu, poterant quæ attraxe perennem
Duritiem, denos septem per Veris honores
Vixere, inde herbis, quæ campis hisce virescunt,
Vescebar: sed enim veteres lapsusq; , nefasq;
Corde reuoluenti, lacrymisq; piare volenti

Non

Non vlla cordi clamydes , non vlla superba
 Gaudia erāt mensa , sed quo calet omne , quod vsquā est ,
 Desuper infusum velabat pēctora VERBUM ,
 Fecundoq; animam satiabat nectaris imbre .
 Quis dubitet ? nostri vera haec sententia Regis ,
 Haud tostae tantum spirant munimine frugis
 Mortales , certum robur , vitamq; ministrat
 Sermo Dei , dulcesq; epulas imitatur Olympi ,
 Qua Isrāeligenas olim pauere cohortes .

Hactenus annorum seriem memorasse meorum
 Sit satis , & fissa tenuis si gratia lingua
 Debetur , summo pro me pia vota Parenti
 Offer , Auernali meritam ne destinet igni .

Finis erat jandi : porrecta fronte sacerdos
 Obstupet infusos rores , concessaq; ab alto
 Munera , tum passis suspectans athera palmis ,
 Aeternas , inquit , grates , placidissime Regum
 Reddo , Christe tibi , qui quos largitus honores
 Huic , quae in Calicolum se conspirasse fatetur
 Dedecus , educis tenebris , atq; asseris Orbi ,
 Me praesente , tuis quo scilicet alter in aris
 Patri pacificas non segnior obtulit escas .

At te , sic subdit Mulier , per numina Cali
 Obtestor , per si quis dictis fors penes istam
 Caniciem mihi restat honos ; ne , deprecor , uni
 Dicta tibi , cures hominum demittere in aures ,

50 De Vita D. Mariae Aegypt.

Donec se humanis latebris, & compede uina
Eximat, & patrios repetat mens libera campos.

I felix, Ariesq; nouis ubi cornibus annum
Extulerit, mensesq; nouo Phaëtonte redibunt,
Huc adsis, mistoq; iterum sermone fruemur.

Ante peto, simul ac cineres, & nota recurrent
Tempora, quae magni renouant ieiunia Christi,
Ne superes Iordanis aquas: verum ipsa facultas
Longe aberit, licet ipse uelis; sed uespere sero
Flos Patris aethery cum passus adorea liba
Vertier in se se, conclusum pyxide corpus
Adfer, ut optatae celebrem conuiuia cenae.

Namq; per hoc aeuu, vastis quo uiximus agris,
Sinceram Domini nequicquam optauimus escam.

Vltra Iordanis ripas absiste moueri,
Ipsa adero. Iam uade alacer, votumq; uolentis
Corde exire ueta, sic in te certa bonorum
Dona fluant, sperentq; suum te sidera ciuem.

Tantum effata, atq; in uerbo uestigia torquens,
In diuersa abijt: demissus in ora recumbit
Zosimus, & pressae lambit sola feruida terrae;
Protinus abscedit, sanctamq; remensus Eremum,
Se laetum socijs comitem redeuntibus addit:

Quos demum reduces sperata in tecta receptos,
Sacra salutiferae recreant sollemnia mensa:



51

IO: BAPTISTAE
LAVRI PERVSINI
CLERICI SEMINARI

De Vita

D. *MARIAE AEGYPTIACAE.*
LIBER TERTIVS.



*INTEREA solitas versatilis expedit
anni*

*Menstrua Luna moras, orditur &
ipse labores*

*Phæbus ab axe novos, quo florea
nascitur Orbi*

Temperies, verniq; palam referantur honores.

Annus ordo redit, redeunt cum Sole reuerso,

Christiadum de more, dies, quos ore sereno,

Pulueris iniecti auspicio, pulcherrima rerum

Sobrietas auidis videns complectitur vlnis,

Sobrietas, qua criminibus se se expiat atris

Turbida vis animae, qua luxu effusa domantur

Viscera, qua celebri splendent Ieiunia cultu.

D 2 Ecce

52 De Vita D. Mariae Aegypt.

Ecce tenebrosis Erebi festinat ab antris

Dira lues, nigro FEBRIS circumdata amictu,
Luce oculos perfusa graui, feruore maligno
Funereum succensa caput, stat frigida circum
Caesaries, late glacialibus obsita nimbis.

Dextram frigus iners, laeuam grauat ignea cuspis,
Luctificosq; Metus, Lethumq; immane, seueras
Dat Pluton comites. Illam iubet ire silentes
Inter Claustricolas, & te peruadere furtim,
Sancte Senex, qui lethali formidine torpens,
Deserta morerere domo, tecumq; sepulcro
Inferres Phariae monumenta Viraginis. Ergo
Aëra per medium liuentibus incita pennis,
Fertur, & infensam luci, noctisque tenebris
Gaudentem simulat Volucrem, celeriq; volatu
Limina iussa petit: cunctos in tempore Patres
Aspicit, ut mos est, abitum de Sede parantes.
Insedit foribus, gressus obseruat euntum,
Zosi non opperiens. Vt cui mens laeua, furensq;
Subdit Mars stimulos, vnum ut de millibus ense
Occupet, & crudas exerceat improbus iras.

Iamq; alios, rursumq; alios Fera saeua notarat.
Egreditur tandem, mora nulla, niualibus armis
Imbellem aggreditur, flammisq; sequacibus urget.
Olli continuo per opertos diditur artus
Arida succiduo glacies admista tremori,

Ac sese argentes paulatim torridus ignis
 Ingerit in venas; populatrix flamma repente
 Proditur indicijs, geminatur anhelitus oris,
 Ore auras captat, fesso rubor errat in ore.
 Ergo refert lento vestigia languida motu,
 Insternitq; humili languentia membra grabato.
 Hoc erat, exclamans, mihi quod prasagijt ingens
 Femina. Iam Pestes Monstrum exitiale secutas
 Excierat, suprema hominem quo perderet aura.
 Inde tamen, Senj cui credita cura tuendi,
 Summouit Genius, Febrim consistere passus

Ad paucos Soles. Denos nondum axe recursus
 Sol quater explerat; dulce in penetrabile receptos
 Viderat ille Patres; Mensis lux nona Cypraei
 Institerat, Seniorq; lue perfunctus edaci,
 Frigida cum summae langueret portio noctis,
 Praenia venturae lucis, sic ore profatur:

Nascere, quae toto tarde mihi redderis anno,
 Nascere fausta dies, quam per spatia ampla morantē,
 Tarda reuertentis dum flectitur orbita Solis,
 Expecto, quae sola venis paritura petitos
 Congressus: effunde iubar; te namq; reuersa,
 Christi Epulum Paschale redit, votumq; roganti
 Redditur. Aurato sed Lucifer exit ab ortu.
 Tum stata sacra ferunt, stratos ex ordine Patres
 Frugibus intactis, roseoq; cruore Sacerdos

54 De vita D. Mariæ Aegypt.

Refficit, assuetos mox latior inchoat hymnos.

Pæne Poli media Titan plus parte tenebat:

Quod simul aduertit, iussas petere ardet arenas

Ocyus; hinc Vrnam, qua mystica liba recondat;

Accipit, & calathum tenui de vimine textum.

Intus Palmarum fœtus, rugosa locatur

Carica, & egelidis perfusa legumina guttis.

It propere, & tardus comitatur Vesper ad undas.

Substitit in ripis, & per Iordanin amœnum

Intuitus spargit crebros, per flumina si quam

Forte ratem videat, quæ gaudia nota reportet.

Cedebat nocti casurus in aquor Apollo,

Ex alijs nostrum rediturus in athera regnis,

Noxq; pruinosis crinem redimita tenebris,

Nigrantes vrgebat equos. Ille aquora longo

Prospectu Solymiaa legens, trabe nec tamen vlla

Cognita adhuc, animi hæc pendens. Mulierne priores

Intulit huc plantas, dum nil dispendia voluens,

Segne iter ingredior? sed enim nec stupea nauim

Vincla ligant, totaq; vacant retinacula ripa.

Forsan ab aduerso dum respicit aggere inane

Littus, & infessum nulli, rata fluxe per auras

Imperia, in solitos voto fraudata recessus

Tristis abit? Sed nec longo processit Olympo,

Cumq; choro Astrorum Nox Cali limine in ipso est,

Et nunc tempus adest, nostram quo migret in actam.

Fors

Fors nullos molitur adhuc ad littora gressus,
 Esto; via mentem calor excitet, unde biremis,
 Qua flumen sulcare queat? sine puppe fluentum
 Intret, & instabilem non horreat ire per undam?
 Heu me infelicem? quis me spe deijcit? ecquis
 Extrahit in luctus, nec parto reddit honori?
 Tu, Deus, exigua passus qui claudier urna
 Hanc propter, misera ne despice vota senectæ.

Dumq; iterat Senior lacrymis ea carmina, tandē
 Emicat oppositam Soboles Aegyptia in oram.

Exiluit, tantusq; obijt præcordia dulcor:
 Irrepsit quantus quondam per Moseos agmen,
 Splenduit obscura lucens cum nocte Columna,
 Inq; die Angelico nituerunt nubila ductu.

Qua tamen arte fretum superet, dum pectore versat,
 Stat dubius, mistoq; metu sua gaudia librat.

Illa ubi protenso gaudens super astitit amnis
 Margine, saluifico signans vada peruia signo,
 Mobilibus se credit aquis, secura per vdam
 Vadit iter, famulus passim substernitur humor,
 Nec tenui gressus aspergine tinguit euntis.

Salus, prisca Fides Patrum, Christi aurea salus
 Compes, amoris opus, rerum gratisima merces.
 Hac pede vel sicco, duce te, transnavit, in æthram
 Olim flammigero vectus qui dicitur axe;
 Hac sancti, Duce te, Isacidum gens fœderis Arcam

56 De vita D. Mariae Ægypt.

Intulit, ingrati pepulit contagia morbi
Septena Namaan lotus vice gurgite in isto,
Imperijs veneranda tuis rota solis hebescit,
Ac relegit conuerſa uias, imponis habenas
Fluminibus, transfers aliena in culmina montes.

At uero intactis sulcantem flumina plantis
Littora mirantur circum, mirantur & unda.
Astupet ipsa soror Phæbi, noctemq; uerendam
Irradiat maiore coma, non cornua pura
Fronte gerit, pleno orbe tumet, radiosq; comarum
Explicat, excelsum Cali dimensa cacumen.
Ipse etiam vitreis hilaris Iordanis ab antris
Extulit auratam faciem, lumenq; rotauit
Dulcius, ac Diuæ pedibus gradientis obundans,
Sæpe uerecundo uestigia lambere fluctu
Appetijt, passimq; suos testatus honores,
Elicuit placidis festiuum murmur ab undis.
Quid quod & instrata Senior procumbat in alga,
Oblitus se ferre Deum? ni sancta Virago
Admoneat, quæ forte uadis librata supremis,
Cursus ad ripæ tumulum propioris agebat.
Appellit, glaucaq; tremens exponitur ulua;
Accuruat tum genua solo, uitreoq; latentem
Carcere latanti sic uoce affatur Iesum.
Tun' igitur, cui iure pari concedit ab aeo
Orbem regnandum Genitor, cui machina Cali

Tota patet, breuiorq; tamen, quam qua potis ample
 Te Dominum gestare sinu, tu qualis Olympo,
 Et quantus, frugum sub nube reconditus arcta
 Hic ades? indignam dignaris munere tanto?
 Disijce iam, quidquid tenebrarum pectore nostro
 Clauditur, & larga radiorum mole refusum,
 Multicolore pias imitetur luce Columbas.
 O utinam veros anima domus induat ignes,
 Inq; tuas abeat flammis: ut vertitur ignis
 In faciem, viresq; nouat, quodcumq; calenti
 Turbine corripitur: Tu Christe, per Azymon almi
 Corporis, oro, tuam me, si haud indebita posco,
 Transfer in effigem, puroq; hinc assere Calo.
 Vt te, multiplici post tempora lapsa rotatu,
 Optatum toties, flagranti lumine tandem
 Aspicio, totoq; libens te corde recepto!

Tum trepidante manu vitalia liba Sacerdos
 Obtulit, ambrosioq; animam satiauit inhaustu:
 Excurrit, mediosq; fluens medicamen in artus,
 Circumfusam animam diuina in viscera mentis
 Interiora vocat: stat terra immobile corpus,
 Aetheria veluti defunctum luminis aura.

Qualiter imbriferi degens in vertice montis,
 Prætrepidat, nimiusq; ligat dum pectora terror,
 Deficit exanimis, nec iam amplius aethera carpit,
 Hunc penes eliso si decidat aëre fulmen.

58 De Vita D. Mariae Ægypt.

Vtq; diu insolita melior dulcedine sensus
Delicuit, ceu torpenti sibi reddita somno:
Nunc, ait, o Superum Princeps, nunc, deprecor, Orbis
Eripe me vinclis, famulam dignare perenni
Libertate Poli, discussis vidimus umbris,
Quem sacri Dominum, largitoremq; bonorum
Ante renascentis dederas cunabula Mundi.

Mox affata senem. Parce, o Pater optime, parce,
Hoc quoq; venturum mens est si poscere in annum.
Hinc abeas, & Sole nouo, cum liqueris Aedem,
Antiquas molire vias, quo limite primum
Sedimus, in primas ubi soluimus ora loquelas:
Nempe tibi nostri maior tunc copia, tecum
Non vacat hic seras producere longius horas.

Subdit ad hæc. Utinam lateri, Cælo auspice, detur
Vsq; herere tuo, cordi preciosa voluptas
Afflueret, dulces caderent in gaudia luctus:
I tamen, & nostri, quæcumq; ea, dona canistræ
Tolle prius, modico te nunc solare paratu.

Illæ Paretonium non aspernata legumen,
Exilem comedit lentem, dein cætera lenis
Respuit, illapsam, memorans, diuinitus auram
Possè implere hominem duplicis munimine vitæ.
Ilicet insiluit flumen, præcinctaq; flammis
Rursum oras sancti tenuit suspensa fluenti:
Prosequitur visu Senior, littusq; serenis

Fletibus

Fletibus irrorat, queritur mensesq; rotandos,
 Aestinasq; moras, non iam cessisse labores
 Hibernos, Calumq; nouo non ire meatu.

Lux oculos sed lassat iners: per nota viarum
 Regreditur, reduceq; anni suspirat habenas.

Nondum raptus honor stellis, tellure sub ima
 Nox nondum sese occulerat, velocior Euro,
 Exiguus spatijs, bisdenas quã via luces
 Postulat, & longo protenditur ardua tractu,
 Vltimus exacti sic urget terminus aui,
 Se MARIA assuetis reddit gauisa latebris.

Empyreas supra Turres, culmenq; supernum
 Aetheris, augusta stat maiestate verendus
 Astrorum Genitor: solio subduntur eburno,
 Innumeros inter cuneos, famulasq; cohortes,
 Tempus, in aeternos numerum quod diuidit orbes,
 Et Natura parens: cruda huic, viridisq; senectus,
 Perpetuusq; decor, magno indefessa labore
 Inuigilat Mundi curis, rerumq; sequestra
 Fœdere concordia pugnantia semina iungit.
 Cura prior, grauida fecunda Matris in aluo
 Iunxerit elementorum seriem, quibus ille recisus
 Certandi genius, qui cuiq; ab origine Mundi
 Inditus: hinc siccis ubi non humentia pugnant,
 Frigida non calidis, vno componit acervo,
 Atq; rudem massam diuerso sidere Cali

Expolit,

60 De Vita D. Mariæ Ægyp.

Expolit, ac dignum decus imprimit: utq; Tonantis
Fingat in effigiem, cum iam stâta tempora Olympus
Attulit, ante Deum sistit, qui informia pulchram
Spiret in ora animam, ducendaq; tempora dicat.

Scribit dicta Senex; hinc certum Pignus in auras
Mittitur, edicti spatium quod finiat aui:

Quodq;, recidenda cum fila breuissima vita
Vertuntur, vel lethali Mors atra veneno
Orbe rapit, vel bellorum caligo cruentat,
Obruit aut blandi pellacia subdola Ponti,
Adde frequens Morborum agmen. Postrema ruebant
Tempora, Niliacum poscunt fata incita Germen,
Afflatamq; animam mitis Natura reposcit.

Ergo non maciem, turpi aut undantia tabo
Ulcerâ, non febres instillat in ossa furentes:
Supremum iubet ire Gelu, placideq; per artus
Intluat, & molli faciat decumbere somno.

Iussum Frigus adest; metaq; ubi mortis adesse
Sensit, fusa solo, purumq; sub æthera tollens (quat,

Lumina. Numquid, ait, maturior hora propin-
Alme Deus, qua me tandem compaginis huius
Liberet hospitio, per venas lenè fluens Mors?
Promissas porro ad sedes mens aduena, carnis
Vsa satis laribus, tam pleno pectore anhelat;
Quam cui Iudæas votum contendere ad Arces,
Perq; Vrbes Pharias iter haurit, forte Canopi

Delicijs

Delicijs longum interea diffluxerit ille,
 Si tamen excuriat mentem Pietatis imago,
 Ingemit, atq; loci sortem execratus acerbam,
 Parthorum iaculis, contortog; ocyor igne,
 Digr; datur, votaſq; volans feſtinat in oras.
 At tu, cum nexus anima præſtrinxerit imos
 Triste Gelu, & propior tremulos mors preſſerit orbes,
 Menſq; abiuncta luto, natiuas exeret artes,
 Diuinamq; aciem, da, ne quid ſlebile, ne quid
 Cernat atrox, neu nigra aliquem de ſtirpe profundi
 Dæmonis, æternos trepidam qui raptet ad ignes.
 Sunt iria regna tibi, meritis quæ digna rependunt,
 In totidem diſcreta globos: haud regna petuntur
 Summa mihi, degant illic, qui labe recifa
 Corporis, ingrati fleuere piacula Mundi,
 Perpetuum caſta complexi mente ſerenum.
 Sat, ſi in me tatro nigrantis ab agmine turme
 Nulla ruat facies: intrem regna infera, non quæ
 Torquet in occiduo pœnarum examine toruus
 Rector, & æternum ſquallentibus aſperat umbris:
 Sed quæ ardent pœnis, quæ olim decreſcere norint,
 Caligant umbris, quæ olim vanefcere norint.
 Tuq; adeo, timida pridem tutela carina,
 Diua Potens, primis quando mihi lenis in annis,
 Sis, rogo, nunc eadem; nec me iam morte ſub ægra
 Verſantem, atq; oculos inſtanti nube grauata
Deſere:

62 De vita D. Mariæ Aegypt.

Desere: tu nantem verax Cynosura petito
Redde Polo, ac sedes (si fas) concede paternas.

Dixit: & appressa, qua se fors obtulit, hasta
Cuspide, deserta scripsit breue Carmen arena.

CONDE solo MARIAM, terrā super inŷce terra,
Zosime, pallenti me Mors excludit ab orbe,
Nocte sub extrema, sacra post gaudia cena.

Protinus in speciem moribunda sternitur, ac se
Poluerea componit humo; sic membra locarat,

Effusus lecto iam iam moriturus Iacob,
Et vultu Eoum spectat latus. Ultima lethi

Meta propinquabat: confestim fulgor ab alio
Defluis incingit corpus recline iacentis,

Lumineq; e medio Nubes emergere visa
Par niueis Cycnis, sulcoq; simillima lacteo

Hoc super incumbit, clausosq; recludit honores.
Inius femineis Celi Regina catervis

(Nempe sua audierat vicinum suus alumna)
Cingitur; ipsa suo circum se Sole coronat,

Astra ligant duodena comas, prosternitur ultro
Ante pedes, longe radios accincta minores

Titanis; dextra Sanctissima Magdallene
Triste exosa peplum, promisso crine superbit,

Proxima terrenos Pelage indignata triumphos
Effulget, Solymis olim qua veste sub antris

Delituit mentita virum. Stat parte sinistra

Suaue

Liber Tertius.

63

*Suave rubens Marie clypeati Neptis Abrhami,
Et roseo madidum siccatur velamine vultum.
Iuxta habitu Thais pulcherrima, luce coruscat
Candenti, victaq; refert de Cypride palmam.
Mille alia comitum facies circumq; supraq;
Funduntur, radijsq; caput morientis inumbrant:
Dumq; fauent oculis, his Virgo vocibus usa est.*

*En hiemem post edomitam, secundaq; nimbis
Tempora, florenti letatur sidere Mundus:
Te quoq; post obitas clades, Orbisq; nocentis
Exilia, & stygy depressa insignia Monstri,
Felix extrema complectitur exitus horæ,
Exitus, optatas aditum qui pandat ad oras.
Gaude animo, partæ prægrandia sænora messis
Te Poli in Arce manent, tibi nulla ambage viarum
Huc accesse datur, quamuis se ostendet aperto
Nigra cohors Cælo, quamuis qua parte feramur,
Inuertat totos Serpentum Tartarus imbres:
Tende libens animum, melioraq; regna capeffe.*

*Sic ait. Ast illi dudum præcordia frigus
Ambierat, tunc maiori se mole refundens,
Expulit exultantem animam de pectoris Arce.
Protinus exceptam socio dignantur honore
Cælestes Nympha, plausuq; ardente canoras
Exercent plectro citharas, cantuq; celebrant.
Haud secus eximitur dira dum sede Leonum*

Fatidicus

64 De vita D. Mariae Aegypt.

Fatidicus Daniel, & prima redditur aula,
Florentem nulla temeratus labe iuventam,
Applaudunt Cives, magnis & honoribus auctum
Suspiciunt, obitis obliuia luctibus addunt,
Fortunamq; leuem regali pignore firmant.
Sic & ab euicto remeans Golliade Pastor,
Attonitam Regis stipatus milite in Urbem
Vadit, eum cithara versantes pollice nervos,
Et passim pharÿs celebrantes orgia sistris,
Virgineae prædulce canunt per compita turbae.
At, ne perfunctum glaciali vulnere corpus
In putrem vertatur humum, purissima stillant
Nectara, mäsuris Superum libata fluentis,
Inde colorata redeunt trans aethera nube,
Et repetunt Cali suprema decemplicis arua.
Assurgit flexo Titan redeuntibus ore,
Qui tunc eripiens flammam propioribus Astris,
Splendidior tremulas radios frangebat in undas,
Purpureumq; diem curru meliore vehebat.
Quiq; comas dum late aperit, largiq; serenat
Igne Polum, infusa conspectum luce cadauer
Irrubuit, clarisq; diem non inuidet Astris.
Tertius assuetum bigas reuocabat in orbem
Cynthius, angustas protendens longius horas:
Nudatumq; gelu, reduciq; ab Sole repentem
Aethera, iam triplici spargebat Flora sereno:

Visaq; millenos annorum euasse rotatus;
 Lux indicta aderat: dulci fremuere tumultu
 Corda Senis, desiderio qui lucis amata
 Pane extabuerat: parat ad MARIAM ergo remensa
 Ire via; Solymas actutum transmeat undas,
 Perq; Nemus taciturn, desertaq; cognita terra
 Incomitatus abit, solersq; hac voluit, & illac
 Sollicitos oculos, num passim certa cupiti
 Emergant monimenta loci, quo grande quiescat
 Pignus: sic visu saltus rimatur acuto
 Venatrix acies, vestigia si qua latentum
 Deprendat Leporum: mærens procedit, & usquam
 Nil, quod spectet, adest: questus hic altus amaror.
 Elicit interius. Men, o iustissime Diuum,
 Mitibus alloquijs, sanctisq; a vultibus arces?
 Magnum equidem, rarumq; viris, posse ora tueri
 Numinis, humana cuius simulatio in umbra est,
 Et cui Terra patens ut seruiat, haud ego tanti
 Esse putem: tamen huic duplici si affamine per te
 Congressus, si miranda mihi linea vite
 Innotuit, leges redeundi edixit; opertum
 Redde decus, neue, o, tantum perisse viarum,
 Votaq; fusa velis. Pergit, campiq; per oras
 Progrediens, humectat iter: nec longa moratur,
 Signa loci apparent. Sterilis terga arida Torrens
 Explicat, undanti flammaram cinctus honore.

B

Accedit

66 De Vita D. Mariae Aegypt.

Accedit propius, nigra tellure iacentem
 Aspectat MARIAM, ductis ad pectora palmis,
 Nullum fronte decus, spiramina nulla latentes
 Concipit in venas, sparsum riget undiq; frigus;

Diriguit visu, tacitamq; recessit in arcem,
 Diuisus per membra calor, corpusq; reliquit
 Segnius, & pallentes prætulit in cute Buxos.
 Idem utriq; color, frigusq; , eademq; per artus
 Segnities; viuo credas cum Patre cadauer,
 Et cum frigenti certare cadauere Patrem.

Tandem animi redeunt, leniorq; ubi corde resedit
 Horror, in immensum resolutus protinus imbrem,
 Corpus obit, forma fruitur miserandus inani,
 Expleriq; nequit; iunctis modo frigida palmis
 Oscula, nudatis modo diuidit oscula plantis.
 Utq; diu hospitium felix immobilis ore
 Ambijt, has pallens exclusit deniq; voces.

Hosne ergo affatus, atq; hac libanda resernas
 Gaudia, præsentem mihi dum promitteris anno,
 Pacatosq; animos, hæsurasq; verba relinquis?
 Scilicet, o fallax rerum tenor! ut tua spectem
 Funera, & exequias, extremaq; munera soluam?
 Me miserum! culpæ me moras Caliq; , meiq; ,
 Erroresne meos, admissaq; crimina? saltem,
 Si certum fixumq; Polis, ut lumina vitæ
 Desereret, pressissem oculos morientis, & auras,
 Extremas

Extremas auras abeuntis ab ore bibissem;
 Saltem, si immotum fatis, ut in aethera quantem
 Efflares sine teste animam, vel nomine solo
 Clareres, dubium ne te vulgaret in Orbem
 Fama anceps. O primorum transcendere metas
 Digna Patrum, ni praeproperus te ad limen Olympi
 Sollicitasset amor. Tu Cali Sidus, Eoa
 Praesidium tu grande plaga: felicia semper
 O sola, qua longis ea Femina presserit annis, (rans
 Quam quondam undantem lacrymis, terrisq; datus
 Virgineam sobolem, trux ore obsederat Anguis,
 Anguis Virgineam sobolem missurus in aluum,
 Vertice septeno cui cornua dena rubebant.
 Elusus tamen iste; Polo transmiserat ortam
 Progeniem Mulier, binis qua postmodo in alis
 Fulsit, & in vastam fugiens concessit Eremum;
 Tu geminas accincta alas, tu frigida seruans
 Arua diu, Angelicis iunxisti commercia turmis,
 Sapius in summi gremium delata Parentis:
 Et quamquam superi diuina ad pondera vultus
 Suspicienda, hebetem nondum caeleste rigasset
 Mentem, caelestis quod gignit Gloria, lumen;
 Tu nec adhuc tanto dignam te munere ducens,
 Fledebas oculos anima, sparsosq; per Orbem
 Orabas veniam sceleri, sanctumq; refundens
 Diluuium, proprij delebas crimina mundi.

68 De vita D. Mariæ Ægypt.

*Felix sorte tua, cuius iuga desuper alta
 Armenia, scopulis exempta minantibus Arca,
 Sedit, & emissam cernens de nubibus Irin,
 Obscenum sacris gaudet lotum imbribus orbem.
 Sed quid ego hæc tandem? cum nota, ignotaq; raptim
 Hinc abeas, superetq; tui vix fama superstes?
 Ah dolor! an nomen nobis meminisse relictum?
 Quando autem agrescunt gemitus, crebroq; fatiscunt
 Rore gena, vocumq; calor mihi torpet in ore:
 Sine ad Cælicolum tractus, vacuasq; cathedras
 Carpis iter, seu promissa iam sede quiescens,
 Vesceris aternis dapibus, plenaq; tueris
 Fronte Deum, liquidis in quo ceu fontis in undis,
 Aut leui in speculo, Mundo tibi noscere promptum
 Quæ sint, quæ fuerint, & quæ ventura trahantur,
 Aspice res Orbis, rerum qui sceptrâ fatigant,
 Aspice nutantes Dominos, quo firma per ævum
 Relligio, sædas non contrahat oblita labes.*

*Me me etiam, tua quem lacrymis ad busta profusum,
 Complexumq; pedes, supremaq; iusta parantem
 Luctus habet, mitis cælestibus aspice regnis.*

*Hæc ait. In lævam tristis dein lumina flectens,
 Impressas tellure notas, nomenq;, obitumq;
 Perlegit, extemplo sæui vis mæsta doloris
 Lenitur, paullumq; abeunt mala nubila vultu.
 Vt circumfusum nebulis, pluuiâq; grauatum*

Aere

*Aëra, ridenti Thaumantias ore serenat.
 Tum parat inferias, & longo murmure carmen
 Exequiale canit. Vix dum complerat, & instat
 Cura recens, quo te condat, decoretq; sepulcro,
 Aegypti sublime decus, se & viribus aui
 Exhaustum, inualidos sola non admittere sulcos.
 Qua tamen arte potest, truncati fragmine ligni,
 Impiger urget humum; sed prima in viscera crudū
 Aequor, hiat tantum, summaq; crepidine vulnus
 Accipit, insudat pressans: at longius ictus
 Haud processu videns, abijcit spem, condere fossa
 Posse pigrum corpus: crebra hinc suspiria, secum
 Multa rogat Superos; dextra cum parte Leonem,
 Deiectumq; iubas, & nil crudele minantem,
 Prociduumq; genu, magnæ ad vestigia Matris
 Astare, ac blanda gressus allambere lingua,
 Respicit. Intremuit pallens, desuetaq; diras
 Arua feras alere expauit: sed mite Leonis
 Ingenium spectans hominem, dulce annuit, ac se,
 Dum cauda alludit, blandeq; ante ora coniscat,
 Comiter imperijs offert: Rex magne ferarum,
 Tum Senior, Diuis quando huc te afflantibus inferis,
 Meq; viae pondus, saeculisq; effaeta senectus
 Fossoris nullos patiuntur ferre labores,
 Corpus ut hoc terra mandem: tu cui noua feruent
 Pectora, & immani florent in corpore vires,*

Exple

70 De Vita D. Mariae Aegypt.

Exple opus officij, glebas pede frange iacentes,
Post, haud Niligenum tumulis, haud mole superba
Pyramidum, egesta bustum condemus arena.

Continuo se operi accingit, dentesq; rigentes,
Vulnificosq; ungues acuit, dein pectore toto
Demolitur humum, detritaq; segmina terra
Egerit, & nitens aptam MARIAE excavat Urnam.
Mox conclamatam conuoluens tegmine sancto
Materiam, effusus planctu, adiutante Leone,
Exiguo fouea lentus tumulauit hiatu.

At Leo summissa Patrem ceruice salutans,
Natiuas, Agno assimilis, remeauit in oras.

Ille genu Pelusiacam veneratus Alumnam,
Cenobij se in claustra refert, interq; cohortem
Fraternam laxis sua gaudia prodit habenis,
Et MARIAM memorat, MARIAM dū fluctibus almis
Sol oritur, MARIAM gremium dum Tethyos intrat.
Paullatimq; animas rumor dum gliscit in omnes,
Quotcumq; aut pietas, aut ardor adegerat illuc,
Spargitur in populos, NOMENq; quod exijt Orbi
Viribus exiguis primo, maioribus inde
Auspicijs, nullaq; situm minitante senecta,
Aeternam recipit duplicato saenore famam.

Libri Tertij, & ultimi de vita D. Mariae Aegyptiaca. FINIS.



T V M V L V S
D I V Æ M A R I Æ
A E G Y P T I A C Æ .



E Nil genuere plaga, quaq; arua Philippè
Prole tument, annos edocuere rudes;
Edocuere quidm, sed crimina, qua tamen Vrbe
Daudis, auspicio Virginis, elumus.
Hac in desertas Solyma transcribit arenas,
Egrediorq; nouem hic lustra, obeoq; diem.
Zosimus hic tumulat, quã nunc Salomonis in oris,
Inq; Helena Templis enthea seruat humus.
F. Christophorus Laurus Perusinus.

In eandem a Io: Baptista Lauro decantatam.

Marcus Ballarinus Seminarij Clericus.

NON sic pigmentis formas expressit Apelles,
Non sic Phœbao lumine Stella micat;
V Æ M A R I Æ gestas pingit res carmine LAVRVS;
Vt fulgore Dei Dia Vrago micat.

A D E V N D E M .

Io: Baptista Ceconius.

DENT alij molles Elegos, pastoris ludant
Carmina, & omniferi fertile Ruris opus.
Heroum studia, ac dubij discrimina Mariis,
Plenum lasciuis dent Epigramma notis,
Hac alij maturi auro: tu in flore Iuuenta,
Cum septenam Glira Six trieterin eas,
Longe aliud moliris Epos, caelestia, LAVRE,
Plectra moues, Phary PIGNORIS acta sonas.
Ergo alij Baccho crines, Sel Apolline cingant,
Auspice tu Vero ferta Tonante feres.

REGISTRVM.

Quaterniones quinque.

A B C D E.


Sed E est duernio.



P E R V S I A E,

*Ex Typographia Vincentij Columbarij. M. D. C. IIII.
SUPERIORVM PERMISSV.*





MAN
PTIANE

